

id est, ad modum spirituum sublimatorum, quando ascenderimus ordinem seniorum superiorum, & lucerna lucis scilicet solaris infundetur lucerne mee id est, lunari, ex te scilicet sol, & ex me scilicet luna, fiet infusio lucis lumini, id est, commixtio luminarum, scilicet vinum cum aqua, & ego scilicet luna, prohibebo fluxum tuum, priusquam tu sol indutus fueris nigredine mea colore attramenti, post solutionem & coagulationem meam, cum intrauerimus domum amoris, tunc coagulabitur corpus meum, & ego in natiuitate mea ero sol oriens, et conuertetur corpus meum in decorem solarum. Ad haec respondit sol luna: O luna si feceris haec quae dixisti, & non veneris mihi in nocumentum, reuertetur corpus meum nouum, & postea nouam dabo tibi penetrationis virtutem, id est, tincturam, per quam potens eris in praelio ignis liquefactionis, & purificationis, ex quo ibis sine diminutione, & tenebris, sicut sol, & non impugnaberis de caetero sicut aes, plumbum, cum non sis rebellis. Beatus qui intelligit in eloquio meo &c. Virtus sulphuris Mercurij est quasi semen paternum, & luna mater, id est, propria substantia Mercurij scilicet, aqueum subtile mixtum terreo subtili est quasi menstruum, et hoc est arg. viu. quod Mercurius a philosophis nominatur. Cum autem Mercurius, id est, arg. viu. sit radix in arte alchemiae, quoniam ex eo, per eum, & in eo

*Sulphur est  
in Mercurio.*

*Philosophorum Mercurius.*